



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Tum Pragam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

sæuissima quietem suáderet, vrgebat tamen cari-
tas Christi vt nusquam nisi in Cruce quietem vel-
let. Ergo eo perfunctus opere, cuius maxime gra-
tia venerat, aliisq; raptim compositis rebus, eius-
dem exitu mensis cum literis Regis Pragam dis-
cessit, Collegio quod propediem expectabatur,
quæ restabant necessaria paraturus. Multum de-
nuo difficultatum primordia vt illa adornaret,
atq; molestissimi tædij exorbuit: additamentum
laborum, quos multiplex Catholicæ causæ pro-
curatio, & ad ciues assidua, frequens ad Archidu-
cem Ferdinandum dictio cumulabant. Apud
hunc etiam latinè feria quinta hebdomadæ san-
ctæ iussus differere, se ipso præstantior visus est.
Non poterant non dolere successu Hussitarum
feruidiores: quorum è numero fuit, qui & argu-
tulus vellet videri vulgato versiculo, Hinc procul
esto canis, pro nobis excubat anser. Ad veterem e-
nim alludens de Capitolio Romano, cum dor-
mirēt Canes, excubiis anserum liberato, famam,
quia Hus Patriarchæ ipsorum cognomētum an-
serem significat, eo contentus, abesse Canem vo-
lebat. Nec animaduertit versificator, quanto fa-
ciliorem non ludēdi, sed vere canendi materiam

Tum Pragā.

*Husitæ cu-
iusdam in
cum versu.*

O 3 præ-